



Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.



EXPLICATIO

ἑλεγκτικὴ

Evangelii Dominicæ primæ  
post Natalem Domini.

Quam

P R E S I D E

Dn.

JOHANNES GERHARDO  
DOCTORE ET PROFESSORE  
THEOLOGO.

Suo

Patrono, Præceptore & Fautore  
reverendo

Ad disputandum proponit

JOHANNES MARCI  
Bullernæsius Suecus.

Ad diem XXVIII. Decembris.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.





*Admodum Reverendo, Clarissimo & Amplissimo Viro,*

**DN. M. PETRO KENICIO ARCHIEPISCOPO** Ubsaliensi, meccenati & fautori suo omni reverentiâ honorando.

*N E C N O N*

*Spectatissimo simul ac Excellentissimo Viro,*

**DN. M. PETRO ANDREÆ BOTHNIENSI,** Serenissimi Principis CAROLI, Sudermannix, Nericiæ & Vermelandix &c. Ducis Informatori, consobrino suo plurimum colendo.

*VT ET*

*Reverendis, Clarissimis & Humanissimis Viris.*

**Dnis. MAGISTRIS ET PASTORIBUS** IN Præpositura Australi Helsingiorum, Patronis & promotoribus suis omni honore afficiendis.

*Hæc pagellulas in grati animi iudicium*

*reverenter dedicat*

**Johannes Marci**  
*Auth. & Respond.*





# EVANGELIUM

DOMINICÆ I. POST NA-

talem Domini.

THESIS. I.



Ræclarum in hoc Evangelio à dua-  
bus senioribus & honoratis personis, Simeone &  
Hanna de Salvatore nostro testimonium editur,  
multorumq; in illum sperantium fides, testifica-  
tione illarum corroboratur, ut ex fine historiae  
est colligere. Notum enim est ex cap. 2. Matth.

& ex hoc ipso capite Lucæ, Pastores homines obscuros, & Magos  
exteros, qui neq; de politia Israelitarum, neq; de illorum populo,  
nec ulla legis aut scripturæ notitia celebres fuerunt, statim post  
nativitatem Christi testimonium de Christo perhibuisse; Nunc  
iterum in loco sancto multò illustriores personæ Simeon & Han-  
na, quæ sacrâ scripturâ edoctæ, vitæ pietate & integritate, imbu-  
tæ, dono prophetico præditæ, & Spiritu sancto regeneratæ, Sal-  
vatorem mundi agnoscunt, & testimonium de illo perhibent,  
ipsum nimirum esse promissum Messiam, per quem omnes cre-  
dentes salvantur, uti etiam quid de ipso & Ecclesia ipsius futu-  
rum sit, verè vaticinantur. Quorum testimonium & prophetiam  
parentes ejus summa cum admiratione amplexi sunt, eiq; indu-  
bitanter summo Spiritus ardore, singulariq; gaudio moti credi-  
derunt.

2. Partes hujus Evangelii tres sunt. Quarum prima continet  
admirationem parentum Christi, & concionem propheticam Si-  
meonis de Christo. 2. Δοξολογίαν Hannæ Prophetissæ. 3. Testi-  
monium Evangelistæ de pueritia & educatione Christi.

*Partes E-  
angelii.*

1. De admiratione parentum & concione pro-  
phetica Simeonis de Christo.

*Quomodo  
Joseph pa-  
ter Christi  
appellatur.*

3. Quod Josephus pater Christi & in Scripturis & aliàs appella-  
tur,





tur, id fit aut opinione vulgi (erat enim in terris ἀπάρως ac Maria virum non cognoverat, ut colligitur ex Matth. 1. v. 20. Lucæ 1. v. 34. & 35.) aut ratione educationis, quod Deo Christum secundum humanam naturam in familia ejus educari placuit. Mariam autem Josepho desponsatam verè matrem ejus esse secundum carnem, nemo piorum est, qui dubitat.

4. Quomodo hæc phrasis (erant mirantes) intelligenda sit, docet D. Chemnit in Harmonia Evang. lib. 1. cap. 11. p. 235. dicens: *Observeur quod phrasis (erant mirantes) profrus Syriaca est. Ita enim generaliter per participium plurale cum verbo substantivo circumloquuntur præteritum imperfectum, mirantes pro mirabantur.*

*Admiratio duplex est.*  
*1. Infidelitatis.*

5. Talem admirationem duplicem esse censet. 1. Infidelitatis ut Esaiæ 29. vers. 9. *obstupescite & admiramini &c.* Hoc modo omnes increduli admirantur, nec tamen credunt, cum illis impossibile videatur fieri posse illud quod proponitur: Exemplum habemus in Thoma Johan. 20. v. 25. qui credere noluit, nisi mitteret manum suam in latus ejus. Talis enim fuit Nazarethanorum admiratio de Christo. Matth. 13. v. 55. Marci 6. v. 2. Item Sap. 5. v. 1. *Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum, videntes turbabuntur in timore horribili, & mirabuntur in subita & insperata piorum salute.*

*2. Fidei.*

6. 2. Fidei, cum credendo consideratur incomprehensibilis gratia, & misericordia Dei. Johan. 5. v. 20. *Pater Filio majora opera monstrabit, ut vos admiraturi sitis.* Marci 9. v. 24. *& continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis agebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Hinc manifestum est illum cum admiratione credidisse, quia dixit, adjuva incredulitatem meam, ideoque etiam filius ejus sanatus est. Admiratio, quæ hic describitur, est fidei: Quia cum Joseph & Maria audirent testimonium Simeonis & Hanne convenire cum annunciatione Gabrielis Angeli, pronunciatione Elisabethæ, relatione pastorum & adoratione Magorum, ingenti cum admiratione credentes lætificati sunt. Luc. 1. v. 45.

*Propter quas causas Christus dicitur admirabilis.*

7. Atque hæc Parentum admiratio, remittit nos ad Esai. 9. v. 6. ubi imponitur Christo nomen illud, Admirabilis, 1. propter admirabilem conceptionem. 2. propter mirabilem unionem duarum naturarum 1. Tim. 3. v. 16. 3. propter mirabilem subjectionem, quod homo nobis similis factus est. Unde veteres: *Magnus*



Magnum & excelsum aliquid operari in Deo non est miraculum, sed nativitate eius consentaneum. Hoc a omnē admirationem superat, quod qui omnium supremus est, in humilem & abjectum statum descendere voluit. 4. propter mirabilem nativitatem. 5. propter multifariam miraculosam manifestationem, quæ tam ante & in tempore nativitatis, quam post nativitatem eius facta est, utpote quod 1. sterilis concipit. 2. Utero clausus exultat. 3. Elisabetha prophetizat. 4. Mutus loquitur. 5. Virgo parit. 6. Magi adorant. 7. Vidua confertur. 8. Justus expectat &c. Quæ omnia cum prophetia de Christo conjuncta maximam admirationem nobis pariunt. Seciprem olim miracula mundi computata miranda: Sed quæ in Christo facta sunt omnibus mirabiliora.

*Miraculose  
manifestationes in  
nativitate  
Christi.*

8. Post Parentum admirationem subjicit Evangelista Simeonis benedictionem. Simeon teste D. Andrea Osiandro, Idem est quod audiens, sive obediens: Quorum utrumque huic nostro Simeoni convenire ex textu Evangelistæ apertum est. Dicitur enim Lucæ 2. v. 25. Hunc justum & pium fuisse, consolationem Israelis expectasse & Spiritum S. in eo habitasse &c. Quæ omnia nominis ejus notationi pulcherrimè correspondent.

*Simeon  
quid significat.*

9. Aliqui sunt qui illum hominem plebejum & privatum fuisse arbitrantur, quod inde colligunt, quia Evangelista sine aliquo titulo præposito nominis ejus mentionem facit, cum illum hominem tantum appellet, sed hujus argumenti vis invalida est. Nam hæc loquendi formula tam in sacris quam in prophanis, est usitatissima & admodum generalis. Quia nomen hominis prædicatur univocè tam de illis qui officiis præfunt, quam de obcursis & plebeis: Exemplum scripturæ sacre habemus Iohan 1. v. 6. de Johanne Evangel. & alibi. Lyra & alii quidam statuunt, illum fuisse de collegio Sacerdotum, hoc quidem argumento, Quia benedixit puero & parentibus ejus: sed solvitur argumentum hæc *ἐν τῷ*, quod Rex Salomon legitur benedixisse populo Israel & populus vicissim illi. 3. Reg. 8. v. 14. Deinde argumento Lyra & aliorum minus commodè evincitur Simeonem hunc Sacerdotem fuisse, quia v. 27. ait, Evangelista ipsum singulari Spiritus impulsu in templo illa hora comparuisse, ideoque ex officio sacerdotali publico ipsi imposto hoc non fecit. Alii iterum illum summum Pontificem fuisse volunt, cum in Catalogo Pontifi-

*Opiniones  
varie de Si-  
meone.*



cum tale nomen inveniatur. Sed respondet D. Chemnit. ibi falsam esse supputationem temporum: Quia ille Simeon annis ducentis ante Christum Pontifex fuit.

*Quis ille  
Simeon.*

10. Afferit autem quod etiam Petrus Galatinus de perpetua & ordinaria successione à Mose usque ad Simeonem Justum & Gamalielē dicit, Rabinorum sententiam commemorans, Jonatham qui quadraginta annis ante natum Christum Thargum edidit, discipulum fuisse Hillelis, cujus filius erat Simeon Justus Gamalielis Præceptor, & ex supputatione horum temporū colligi posse statuit, hunc Simeonem Justum illum ipsum fuisse, qui Christo in hoc Evangelio benedixit. Quoniam igitur descriptio personæ & temporis supputatio huic sententiæ congruunt, sine fidei periculo illi subscribere possumus, sed quicquid sit, sufficit nobis, quod ex Evangelista habemus, illum nimirum fuisse pium, justum, expectasse consolationem Israel, Spiritum S. in eo mansionem fecisse, & responsum accepisse à Spiritu S. quod non visurus sit mortem, antequam Christum Domini vidisset. Unde testificationem ejus magnam auctoritatem habere certum est.

*Benedictio  
duplex.*

11. Absurdum fortè dicis hominem Christo benedicere, cum omnis benedictio sit à Domino? Sed benedicere accipitur dupliciter: vel enim accipitur in ea significatione, qua Deus nobis benedicit, Num. 6. v. 14. *Benedicat tibi Dominus*: vel etiam benedicere usurpatur pro benè præcari sive valedicere, ut 3. Reg. 8. v. 14. Hebr. 7. v. 1. Exod. 14. v. 19. Rom. 12. v. 14. & in hac significatione hoc loco ponitur. Sic Psalmo 72. v. 15. *Tota die benedicent ei*. Aliàs benedicere etiam est maledicere, ut 3. Reg. 21. v. 10. de quo non est hujus loci agere.

*Cur Apostrophe fiat  
ad Mariam.*

12. Descriptioni personæ benedicientis succedit ipsa benedictio, in qua apostrophe fit ad Mariam matrem Christi, idq; propter hanc causam, quia Simeon instinctu Spiritus S. mysterium conceptionis Mariæ cognovit, nimirum quod sine virili semine concepisset. Deinde, quid illi & filio ejus futurū erat, prænuntiat.

13. Verisimile est, Josephum & Mariam primò carnalem aliquam persuasionem concepisse, filium hunc eximium Monarcham in hoc mundo fore, & tam magnum ut in summa admiratione omnium futurus esset, ideoque videretur Deus, cum illum in talem Regem non constituit, ne Parentes ejus & alij qui sperant in eo,



in eo, cum illum à mundo contemptum, illusum, morti traditum & crucifixum viderint, scandalizentur, & sic à vera fide ad incredulitatem avocentur, huic persuasioni hisce prophetis verbis occurrere voluisse. Nam Simeon impulsu Spiritus S. in templum venisse, & ab eodem Spiritu S. motus, glossam satis duram addidisse, externamq; faciem regni Christi in hoc mundo longè aliam depinxisse scribitur.

14. Cæterum hæc Prophetia Simeonis quatuor habet partes: Quarum tres priores competunt Christo, quarta Mariæ. *1. Simeonis quatuor sunt partes.*

15. Prima pars Prophetiæ desumpta est ex Esaia 8. v. 14. *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & in petram scandalali duabus domibus in Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem.* Item Esaia 28. v. 16. *Ecce ego mittam in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum.* Psal. 118. v. 22. Act. 4. v. 11. Rom. 9. v. 32. & 33. 1. Petr. 2. v. 6. & 7. Matth. 21. v. 42. Marci 12. v. 10. Lucæ 20. v. 17. *1. Pars unde desumpta.*

16. Quod Christus positus dicitur in ruinam, illud Origenes homil. 17. in Lucam hoc modo interpretatur. *Positus & c. id est, ut benè cadant à peccatis, illisq; moriantur, & in resurrectionem: hoc est, ut cum à peccatis ceciderint, per gratiam mediante hoc lapide relurgant.* *Stabam, inquit, in peccato, eo tempore, quo peccato vivebam & quia in peccato stabam, prima mihi utilitas fuit, ut caderem, & peccato morerer, hoc primum tibi Salvator concedit, ut corruas. Ethnicus eras, cadat in te. Ethnicus, diligebas scortum, primum in te scortum intereat, peccator eras, cadat in te peccator ut possis dehinc resurgere.* Eodem modo etiam Theophylactus: *In ruinam positus est Dominus malorum, quæ in animabus nostris sunt, in resurrectionem verò bonorum; cadit fornicatio, surgat continentia.*

17. Sed quia alterum membrum de resurrectione proprie pertinet ad eos, qui per Christum spiritualiter à peccatis resurgunt, ideo *πῶς* rectius refertur ad illos, qui nolunt lapidem illum angularem salutariter apprehendere, ut erigantur, sed in eum impingunt ut cadant. Et colligitur ex oppositione, quod ruina non de externo interitu intelligatur, sed de spirituali ruina in cecitatem & exitium æternum.



*Qui ruere  
dicuntur.*

18. Dicuntur autem ruere, qui extollunt se contra Deum 2. Cor. 10. v. 4. & 5. Et qui profundius & gravius in peccatis semper prolabantur. Deus posuit nobis lapidem angularem, quo fide apprehenso omnes qui in ruinam peccatorum tam miserrime præcipitati sunt, resurgere & erigi possent, ut dictum est Joan. 3. v. 19. *Hæc autem est condemnatio, non quod homines peccatum habent; ab illa enim tollenda agnus Dei missus est: sed quia lucem, quæ venit in mundum, noluerunt apprehendere.* Ideoque Christum illis in ruinam esse, qui illum apprehendere & erigi nolunt, manifestum est, hisq; sic ruina demergens in æternum exitium Joan. 9. v. 39. *In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Mart. 21. v. 44. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.* Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut perdat animas hominum Joan. 3. v. 17. tamen homines per peccatum adeo corrupti sunt, ut magis ament mendacium quam veritatem, tenebras quam lucem Johan. 3. v. 20. Respiciunt splendorem humanum, ideo scandalizantur.

*Rationes  
cur scan-  
dalizen-  
tur.*

19. 1. Propter contemptam speciem Messiae Esai. 53. v. 2. *Non est species ei neq; decor.* Erat pauperrimus. Matth. 8. v. 20. *In Ecclesia ejus non multi sapientes secundum carnem.* 1. Cor. 1. v. 26. Johan. 7. v. 49. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit legem.* 2. Propter exiguum numerum credentium juxta illud Sopho. 3. v. 12. *Ego derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: Et sperabunt in nomine Domini.* 3. Propter Evangelii sapientiam, quæ constituta est contra rationem humanam. 4. Propter contempta media, per quæ regnum propagatur. 5. Propter quotidianas afflictiones.

*2. Pars  
Prophetiæ.*

20. Frustrà tamen Deus salutare suum hominibus non paravit, positus enim est in resurrectionem multorum, Psal. 118. v. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quia tanta virtus est hujus lapidis, ut omnibus illum fide apprehendentibus in resurrectionem factus sit, & illis omnibus gratis dat remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, Act. 10. v. 43. Johan. 3. v. 36. *Non ergo omnes in eo scandalizabuntur, sed multi etiam in eum verè credituri erunt,* 1. Pet. 2. v. 7. *Vobis igitur honor creditibus: non creditibus autem. &c.*

*Christus  
multis mo-  
dis resurre-  
ctio.*

21. Christus creditibus positus est in resurrectionem, 1. 3 carnali



carnali securitate & somno peccatorum, ne obdormiscamus in morte aeterna Ephes. 5. v. 14. Surge qui dormis, & exurge a mortuis & illuminabit te Christus. 2. a desperatione & hæc est resurrectio prima, Apocal. 20. v. 6. Philip. 1. v. 21. Mihi vivere Christus est. 3. Resurrectio nostra est per Baptismum Rom. 6. v. 3. An ignoratis (fratres) quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus & Consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. 4. In extremo iudicio erit resurrectio nostra, Philip. 3. v. 20. Nostra autem conversatio in caelis est: Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ Johan. 5. v. 28. Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt &c.

22. Cæterum ex eo quod dicitur, multorum in Israel, primo intuitu videtur sequi, quod propter illos tantum, qui secundum carnem sunt de semine Abraham, Christus natus sit. Sed ad hunc errorem sufficientissime respondit Scriptura diversis in locis Matth. 8. v. 11. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient: & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno caelorum. Filii autem regni ejicientur Rom. 4. v. 11. Abraham est pater omnium credentium, etiam eorum, qui sunt in præputio, ut reputetur etiam illis ad justiciam Rom. 9. v. 23. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. v. 24. Quos & vocavit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus Rom. 10. v. 12. Non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum Gal. 3. v. 28. In Christo non est Judæus neque Græcus Gal. 6. v. 15. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura, & quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super eos & super Israel Dei. Quid quod Simeon noster in suo cantico disertè prius dixerat, hunc puerulum esse, tale salutare, quod paratum sit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israel, Luc. 2. v. 32.

23. Ulterius dicitur (& in signum cui contradicetur.) De significatione hujus verbi Interpretes non conveniunt. Chrysostomus & Amphiloichius crucem significari putant. Cajetanus signum conciliationis humani generis cum Deo. Carthusianus signum foederis inter nos & Deum, quemadmodum arcus caelestis in signum gno.

Promissio  
extendit se  
ad omnes.

3. Pars Pro  
phetia.

Varie opinio  
nones de si-

B

gnum gno.



gnum foederis à Deo datus est. Euthymius signum poni pro miraculo existimat, posuit est hic infans, inquit, in signum, hoc est in miraculum totius orbis. Miraculum enim admirandum est de ἀνθρώποις cui Iudaei, Ethnici & Mahomethani contradicunt. Sebastianus Barradius hoc modo intelligit: Posuit est in signum, hoc est, vexillum, quod sequantur homines, multi sequentur, plurimi contradicent. Isidorus Clarius in orat. 12. putat hanc similitudinem sumptam esse ab iis, qui ad propositum signum siue scopum jaculantur, juxta illud Thren. 3. v. 12. Posuit me, quasi signum ad sagittam. Job. 16. v. 13. Confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Laurentius Justinianus lib. de triumphali agone cap. 13. appellat Christum scopum contradictionum, omnes, inquit, certatim, paratas in pharetra sagittas, in signum contradictionis intorquens. Act. 28. v. 22. De secta ista notum est vobis, quod ubique contradicunt.

24. Pulchre etiam D. Chemnicus de hoc signo scribit, graecum illud ἀντίδοτον poni pro signo, quo oves notantur. Infans ille signum est, quo notantur oves Dei, & quo populus Domini ab aliis distinguitur. Nam nomen Christi ejusdemque confessio ac fides nota est populi ejus & Christianorum. Potest etiam sumi pro signo, de quo Christus Johan. 3. v. 14. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet &c. Hoc enim modo etiam Christus positus est in signum, quod qui oculis fidei aspiciunt, salutem eternam consequentur.

25. Videtur Simeon respexisse illud Esai. 8. v. 18. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel à Domino exercituum. Hoc modo Ezech. 24. v. 24. suis est portentum. Zach. 3. v. 8. Audi Iesu Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portenti sunt. Item illud Esai. 11. v. 10. Deus dicit se erecturum radicem Isai in signum populorum, ut gentes ipsam requirant. Ibid. v. 12. Et levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terre.

26. Dicitur autem Christus signum cui contradicuntur, quae contradictio non tantum verbis, sed etiam factis & operibus fit, Graecae enim voces ἀντιλέγειν & ἀντιλογία translatae sunt ab Hebraicis מַרְבָּה & רִיב quae non tantum lites, contentiones & murmurationes quae verbis, sed etiam quae factis & operibus fiunt, significant. 1. Reg. 25. v. 37. Deus litigavit litem opprobrii mei, inquit David.



vid. Hebræ. 12. v. 3. *Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccato-  
ribus, adversus semetipsum contradictionem.* Hæc contradictio signifi-  
cat omne quod sustinuit in se, ut satisfaceret pro nobis tam verbis  
quàm factis.

27. Tale igitur signum factus est Christus, nempe ad quod  
omnes impii certatim tanquam ad scopum contradicendo, blas-  
phemando, accusando & persequendo tum verbis tum factis col-  
limant. Exemplum est Herodes Matth. 2. v. 16. Scribæ, Pharisei,  
Sadducaei, Pontius Pilatus &c. Ps. 2. v. 2. *Adstiterunt Reges terræ, &  
Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum  
ejus.* 1. Cor. 1. v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est:  
His autem qui salvi fiunt, Dei virtus est.*

*Quale si-  
gnum Chris-  
tus factus  
est.*

28. Variæ autem causæ sunt propter quas huic signo ab im-  
piis contradicitur: 1. ex superbia, quia contemnunt salutis me-  
dia, Christum, verbum, fidem. 2. ex pertinacia. 3. ex impatien-  
tia, nolunt enim sustinere crucem; 4. ex desperatione ab illis, qui  
non credunt remissionem peccatorum, ut Genes. 4. v. 13. & 14.  
Cain. Matth. 27. v. 5. Judas.

*Variè huic  
signo con-  
tradicitur.*

29. Deinde explicat hoc Simeon ipse, qualemnam contradi-  
ctionem intelligit, cum dicit (*animam tuam pertransibit gladius*) quæ  
sententia extremam tribulationem & summum dolorem signi-  
ficat.

*4. Pars  
Prophetiæ.*

30. Variæ autem sunt opiniones, quidnam significetur per  
gladium illum, qui pertransiit animam Mariæ: Divus enim Am-  
brosius dicit gladium esse virginis prudentiam, cœlestis non igna-  
ram mysterii, id est, cœlestis mysterium, instar gladii penetran-  
tem. Magister historiæ de Evangelica historia cap. 9. hoc modo  
interpretatur: Tuam ipsius animam, id est, animam ipsius, quæ & tua  
est, quam scilicet quasi tuam diligis, pertransibit gladius, juxta illud 1.  
Reg. 18. v. 1. & 3. Dilexit Davidem Ionathas quasi animam suam, ac  
non multò ardentiori amore Maria Christum diligeret? Sed cum  
græcum illud *ἀοτὴν* sit fœminini generis, ad Christum commodè  
referri non potest. Timotheus Ierosolymitanus in oratione de  
Propheta Simeone, intelligit per hunc gladium dolorem illum,  
quem virgo conceperat, cum Jesum triduo amisisset. Luc. 2. v. 26.

*Opiniones  
de gladio.*

31. Sed Euthymius, Beda & alii quidam propriissimam sen-  
tentiam sequi videntur, cum dolorem, qui virginis animam tem-  
pore



pore passionis fauciat, gladii nomine significatum intelligunt. Hoc enim sensu videtur dicere Propheta David Psal. 37. vers. 35. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Item Psal. 22. v. 1. *Erue à framea Deus animam meam.* Pl. 105. v. 18. *Ferrum pertransibit animam eius.*

Quid gladius significet.

32. Ideoque Simeon locutus est de dolore, quem virgo Maria de contradictione populi perceptura erat, cum ait, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*: nimirum doloris acerbissimi, cum Judæos & alios filio contradicentes crucifigentesq; videris & audieris. Bernhardus tom. 1. serm. 61. art. 3. cap. 2. hunc dolorem adeo exaggerat, ut scribat: *Tantum fuit dolor virginis, quod si in omnes creaturas, quæ pati possunt, divideretur, omnes subito interirent.* Quamquam autem huic sententiæ ipsius non per omnia subscribimus, tamen maximum dolorem Mariam exinde concepisse extra dubium est. Concionatur itaque Mariæ tristitia futura, ut illam adversus maxima mala muniat juxta proverb. *Tela prævisa minus feriunt.*

Qui cruce affligitur.

33. Ex hisce apparet, non vulgaribus tantum membris Ecclesiæ Christi crucem impendere, sed etiam præcipuis, sicut Mariæ, quæ mater erat, animam penetravit gladius, quod cum alias tum præcipue in passione Christi ipsi accidisse in confesso est, Lucæ 9. v. 24 & 14. v. 26. Matth. 10. v. 38. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus.*

Opiniones quomodo revelentur cogitationes.

34. Causam deinde cur affligantur cruce pii, addit Simeon cum dicit, *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes eorum.* In quorum verborum explicatione diversitas sententiarum occurrit. Euthymius hoc modo interpretatur: *Gladius doloris animam virginis pertransibit, ut ex multis cordibus eorum cogitationes retegantur, nempe qui hanc illius matrem non esse suspicabantur.* Sebastianus Barradius ita explicat: *Ut revelentur ex multis cordibus doctorum, cogitationes præclaræ, disceptationes & ratiocinationes, de mysterio passionis Filii Dei.* Theophylactas, *Revelatæ sunt ex cordibus cogitationes in passione Domini, cum apparuit Judas proditor, & apparuerunt diligentes Christum.* Origenes homil. 17. in Lucam de cogitationibus malis exponit, quæ Ecclesiæ medicis Sacerdotibus, tanquam vulnera ut sanentur, per confessionem aperiendæ sunt. Cardinalis Cajetanus hoc modo intelligit, ut post passionem Christi revelentur per externam fidei professionem cogitationes cordium.

35. Sed



35. Sed Carthusianus & Jansenius videntur proximæ sententiæ sensum tangere: ajunt enim, contradicetur Christo, ut revelentur ex multis Judæorum cogitationes: hoc est, ut agnoscantur, qui ex illis viri probi sint, qui impii & hypocritæ. Nam Christi contradictio, hoc est, persecutio ostendit, quales fuerint Phariseorum, Scribarum & Sacerdotum cogitationes, nimirum odio, superbiâ & invidiâ plenz.

36. Cui sententiæ refragari nolumus, modò addatur quod non solum de Judæis, sed etiam de aliis hominibus id intelligendum sit. De omnibus hominibus verissimè dicit Apostolus I. Corinth. 2. v. 11. *Quis scit hominum, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Tam latebrosi enim sunt recessus cordis humani, ut multi, qui alias externâ disciplinâ florent, ut in admiratione sint, irritati autem quasi hoc signo contradictionis, omnem humanitatem exuunt, & quasi in truculentas feras blasphemando, & persequendo degenerant. Cumq; omnes ferè simulent se expetere salutem, verè credere in Christum, tamen quando Christus in hac forma illis proponitur, tum demum prodit se cordis humani pravitas, quod multis ad ruinam positus sit, ipsorum vel securitate vel superbia vel petulantia. Nemo unquam cogitasset, quod tam leviter defecturi essent: Sed gladius transiens animam, revelat cogitationes ex multorum cordibus, ut mox patebit, & apparet professionem illorum esse instar floris sine radice, Matth. 13. v. 21. Ideoque ut impii à piis discernantur, necessaria est externa aliqua manifestatio, quæ istud discrimen retegat: Hoc verò fit per tribulationes, I. Corint. 3. v. 13. *In igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit ignis probabit.* Ignis a. iste, nihil aliud est quàm tribulatio.

37. Hæc autem hujus loci videtur esse Metaphora, crux est gladius, non corpus tantum lædens, sed penetrans usque ad divisionem animæ, ita ut corde quasi dissecto, intimæ ejus cogitationes pateant. Exempli loco sint Judæi, qui paulò ante Holianna, postea verò crucifige clamarunt: Ex perseverantibus autem in fide, exempli loco sint Nicodemus, Joseph. ex Arimathia &c. Rom. 10. v. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

*Explicatur  
Metapho-  
ra.*

## QUESTIONES DUBIÆ EX I. PARTE EVANGELII.

Quest. 1. *An Deus sit causa peccati?*

B. 3

Multi,



Multi, proh dolor, sunt qui parùm considerant dictum illud Paulinum 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. stulticia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Minus autem auscultant admonitioni Christi, Matth. 7. v. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quo Christi dicto serio monemur ad aperiendum oculos, ne quis nos seducat de via vera & bona, atque non tantùm corporaliter, sed etiam spiritualiter perdat, juxta illud Matth. 24. v. 11. *Et multi Pseudoprophetae surgent, & seducant multos:* Quod fit cum in comprehensibilem & inenarrabilem Dei bonitatem & misericordiam, instinctu Satanae ejusq; satellitum, negamus: Atque ita in dubitationem, imò potius & per conseques præcipites in desperationem cadimus, dicendo Deum esse causam peccati: atque ita aliquos ad æternam salutem, alios autem ad æternum exitium creasse; quod permultos Calvinianos facere deprehendimus. Sed ne illum impiissimum errorem erremus, suspirando ad Deum pro Spiritus sancti gratia impetranda, aliqua eorum argumenta excutiemus, & quàm brevissimè, quantum quidem per ingenii tenuitatem fieri potest, refutare studebimus.

Inter alios cavillatores hoc idem fingentes postremus non est Martinus Bucerus, qui in caput primum ad Romanos sic scribit: *Si quis videat cæcum impingentem, nec posse non cadere, si ei suam manum non porrigat, eumq; regat, nolit autem ille manum suam cæco præbere, & patiat eum cadere, obsecro quis non dicat eum casum cæci hujus voluisse, ejusq; fuisse causam? Iam Deus hoc amplius mei peccati causa est, quàm ille, qui negat cæco ducatum, causa est, ut cadat cæcus, quod Deus in utero matris meæ me cum hac perversitate ingenii mei, atq; peccandi necessitate condidit atq; formavit.* Deinde Zvinglius de provid. cap. 5. idem affirmat cum dicit: *Per Dei creaturam injustitiæ exemplum produxit, non quasi creatura illam suo Marte produxerit, sed quod Numen ipsum (id est Deus) author est ejus, quod in nobis injustitia (id est peccatum) horum erroribus subscribere ipsum Calvinum lib. 3. insti. cap. 23. §. 9. manifestum est: Dicit enim, hanc necessitatem ex Dei ordinatione reprobis injici.* Hunc suum errorem stabilire conantur tam hisce verbis Prophetiæ Simeonis de Christo in hoc Evangelio, quoriam nimirum dicit illum positum fuisse in ruinam, quàm aliis Scri-



Scripturæ testimoniis, utpote Rom. 11. v. 36. Quoniam ex ipso & per  
ipsum & in ipso sunt omnia. Act. 17. v. 28. In ipso vivimus, movemur &  
sumus. Exod. 4. v. 21. Ego indurabo cor ejus, (Pharaonis) & c. quod repe-  
titur Exod. 7. v. 3. & 9. v. 12. 10. v. 1. & 20. Afferunt etiam hæc  
loca 2. Reg. 12. v. 11. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, &  
tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum ux-  
oribus tuis in oculis tuis. 2. Reg. 16. v. 10. Dimittite eum ut maledicat, in-  
quit David, Dominus enim præcepit ei ut malediceret & c.

Respondeo autem primum ad argumenta Bucerii, Zvinglii,  
Calvini & aliorum qui idem arbitrantur: Quod cum venerint in  
judicium cum Deo volentes illum incusare, quod impegerit illos  
ad peccandum, manumq; ad erigendum illos non extenderit, in-  
venient se jam dudum a Christo accusatos esse, quod noluerint  
manum ejus apprehendere & erigi, postquam cæcis illis impin-  
gentibus obstaculum illorum, morte sua acerbissima, abstulit.  
Esaï. 65. v. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui  
graditur in via non bona, post cogitationes suas. Joh. 3. v. 16. Sic Deus di-  
lexit mundum & c. & v. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum,  
ut judicet mundum. lege ibi plura. Esaï. 65. v. 12. Numerabo vos in gla-  
dio & omnes in cæde corruent: pro eo, quod vocavi, & non respondistis mi-  
hi: locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis: &  
quod nolui elegistis, propter hoc hæc dicit Dominus Deus? Ecce servi mei  
comedent & vos esurietis & c. Esaï. 66. v. 4. Jerem. 7. v. 13. Rom. 10.  
v. 21. Proverb. 1. v. 23. Convertimini ad correptionem meam; en profe-  
ram vobis Spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi, & re-  
nuistis, extendi manum meam & non fui qui aspiceret. Despexistis omne  
consilium meum & increpationes meas neglexistis: Ego quoq; in interitu  
vestro subsannabo. 1. Johan. 4. v. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis:  
quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per  
eum & c. Ezech. 18. v. 23. Ezech. 33. v. 11. Vult ut omnes salventur.  
Deinde patet etiam, quod Deus tanto accensus fuit amore erga  
genus humanum, ut miserit Filium suum in acerbissimam mor-  
tem, non tantum pro salvandis, sed etiam pro reprobis, ut vide-  
re est ex 1. Cor. 8. v. 11. Et peribit infirmus, propter quem Christus mor-  
tuus est. Rom. 14. v. 16. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mor-  
tuus est. 2. Pet. 2. v. 1. Fuerunt verò & Pseudoprophetae in populo, sicut  
in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum  
qui



qui emittit eos, Dominum, negant. 2. Cor. 5. v. 14. & 15. Esai. 53. v. 6.  
Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Rom. 5. v. 18. 1. Tim. 2. v. 4. qui omnes homines vult salvos fieri. Item v. 5. Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. Joh. 2. v. 2. non pro nostris tantum sed pro totius mundi. Nonne ex hisce & similibus evincitur, non tantum, quod Deus obstaculum in quo impingeremus nobis non posuit, & quod non tantum manum suam nobis ad erigendum porrexit, sed etiam misit Filium, qui ne damnaremur, periculo nostro se commisit, incarnari & crucifigi voluit, sanguinem suum preciosum effudit, & animam pro nobis dedit? Videant igitur illi quid Apollolo sint responsuri. Rom. 11. v. 20. *Propter incredulitatem fratrum tui sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.*

Deinde ad illud quod ex hoc Evangelio inferitur, responsio sumi potest partim ex thesi 18. partim ex illis, quæ de obduratione Pharaonis paulò post dicuntur. Ulterius ad id quod ex Deo, per Deum & in Deo dicuntur esse omnia, quodque dicimur in Deo esse, vivere ac moveri. Respondeo distinguendo inter creaturarum essentiam & vitiosa accidentia, inter actiones ipsas & defectum actionum. Concedimus libenter Deum generali influenza concurrere ad omnes actiones, etiam ad illas, quæ fiunt committendo peccatum, ut in furto, adulterio, homicidio &c. quatenus sunt actus, sed non ad defectum sive peccatum, quod est privatio rectitudinis in illis actionibus. Ad obdurationem autem Pharaonis & alia similia ita respondemus. Primum, quod illud etiam habetur de obduratione Pharaonis, nempe quod cor suum ipse aggravavit. Exod. 8. v. 15. *Ingravavit cor suum, & non audivit eos.* Exod. 9. v. 34. *Videns autem Pharaon, quod cessasset pluvia, & grando & tonitrua, auxit peccatum: & ingravatam est cor ejus &c.* Deinde negabit nemo, quod Moses sæpillimè jam antea prædicavit Pharaoni, eumque cohortatus fuerit, ut converteretur à sua impia religione, atque à pertinacia reluctandi desisteret, quemadmodum ex textu colligi potest. Quia verò Pharaon hoc facere recusavit, ideò cor ejus & servorum ejus ingravatam dicitur: idque ipsi in pœnam. Et sic duplex erit respectus, quo Pharaonis cor aggravatum dicitur à Deo & à Pharaone ipso: Respectu Dei induratio fuit justissima pœna, quia scilicet Pharaon noluit converti & obtemperare: Respectu



specu ipsius Pharaonis peccatum fuit. Et ita Deus pertinaces verbi sui contemtores punire solet, nimirum, quod illis Spiritum sanctum non communicat, ne illud intelligant. Esai. 6. vers. 9. Marc. 4. v. 11. Luc. 8. v. 10. Joh. 12. v. 40. Act. 28. v. 26. Rom. 11. v. 8. Matth. 13. v. 11. Cum discipuli Christi interrogarent eum, cur per parabolas locutus esset, Respondit: *Quia vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: illis autem non est datum: hoc est, vobis petentibus & sitientibus aquam vitae & verbum Dei, dabitur Spiritus sanctus, flocci autem pendentibus non dabitur.* Quia multi, postquam audiverunt parabolas & verbum Dei, nullam curam intelligendi ea habuerunt, sed abierunt: Discipulis vero & aliis, qui accesserunt ad Christum petentes explicationem verbi eius, explicatum est. Jam ubi est Spiritus sanctus, ibi non est obduratio cordis & vice versa. Et sic solvitur argumentum, nimirum, quod ipse Pharaon & servi eius, qui concionem Dei per Moysen factam, audire noluerunt, in causa sunt obdurationis.

Ad illud, quod ex 2. Reg. 12. & 16. objicitur, respondemus, quod nec Absolon a Deo ad peccandum impulsus fuerit, nec peccatum hoc a Deo placuerit, nec tribuatur Deo quatenus peccatum, sed quatenus poena fuit. Deus enim suscitare hoc malum dicitur, cum Absolonis nefandum scelus ad bonum finem poenae determinat. Et sic quia Deus impios peccaturos praecognoscit, ideo illorum peccatis alia peccata punit. Duplex igitur est consideratio voluntatis Divinae: Beneplaciti & consilii. Voluntate beneplaciti fiunt ea, quae Deus praecipit. Voluntate autem consilii ad bonum finem mala determinantur. Quamobrem Deus non est causa peccati, sed utitur impietate malorum hominum ad peccata puniendae.

Quamquam v. ex hisce planum est, Deum non esse causam peccati: tamen ex superabundanti, aliis Scripturae testimoniis idem probabo. Deut. 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viae eius iudicia, Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus.* Osee 13. v. 9. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium.* Psal. 5. v. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es.* 2. Cor. 6. v. 15. *Quae autem conversio Christo ad Belial?* 1. Iohan. 3. v. 5. *Peccatum in eo non est.* & v. 6. *Omnes qui in eo manent, non peccat.* v. 8. *Qui facit peccatum ex Diabolo est.* 1. Ioh. 2. v. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est: Et*

C

conclu-





concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 1. Joh. 1. v. 5. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla. Joh. 8. v. 12. Ego sum lux mundi. Eccl. 15. v. 12. Non dicitur ille me implantavit: non enim necessarii sunt ei impii homines. Matth. 19. v. 17. Unus est bonus Deus. Marc. 10. v. 18. Nemo bonus nisi unus Deus. Psal. 118. v. 68. Bonus es tu. Psal. 110. vers. 7. Opera manuum ejus veritas & iudicium. Gen. 1. v. 31. Vidit quæ Deus cuncta quæ fecerat, & erant bona valde. Eccles. 39. v. 21. Opera Domini universa bona valde. Mar. 7. v. 37. Bene omnia fecit. 1. Tim. 4. v. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum. Soph. 3. v. 5. Dominus justus. Nos ex hisce, Deum non esse causam peccati, certò scimus & concludimus.

### QVÆSTIO SECUNDA.

*An signum crucis aliquam efficaciam habeat?*

Papistæ asserunt, illum qui signo crucis signatus non est, verum Christianum non esse, eundemque non esse satis munitum contra insidias Diaboli, item signum crucis illud ipsum esse, de quo Simeon hic loquatur. Stapletonus in explicatione hujus Evangelii, id probare conatus, adducit locum Matth. 24. v. 30. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in celo*: quod signum veteres per crucem exposuisse arbitratur, inter quos numerat Hilarium, Euthymium, Theophylactum & Chrysostomum, qui dicant: *Hoc signum est ipsa crux, crux enim ipso Sole fulgentior videbitur, obscuratur enim Sol, crux autem apparet: quod fieri non posset, nisi Solares radios splendore superaret.* Item Hieronymum & Origenem, qui per signum, cujus in hoc Evangelio mentio fit, crucis vexillum intelligant. Addit denique Hippolytum, Damascenum, Cyrillum & Constantinum Magnum, de quo scribit, quod cum hoc signum in via ipsi appareret, vocem è cælis sonantem audiverit: *In hoc signo vince hostes, & pax mea erit tecum*, Dicit iterum, Ubicumque signum crucis non adhibetur, ibi nihil unquam ritè perficitur: atque ita quidem, ut nulla vis spiritualis sine crucis signo obtineri possit. Quod vicissim probat testimoniis Patrum: Augustini, Chrysostomi, Justinii Martyris, Tertulliani & aliorum. Ex horum omnium testimoniis, cum omnia eundem ferè sensum habeant, unum tantum in medium proferre placuit, & quidem illud Augustini, qui scripsisse fertur in enarratione in Psalmum 141. *Vsq; adeò de cruce non erube-*



erubescō, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atq; aliter accipimus, quædam ore, ut nostis, quædam per totum corpus. Quod verò in fronte erubescitur, ille qui dicit: Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam illum coram Patre meo, ipsam ignominiam quodammodo, & quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Testimonia autem Scripturæ, quibus hæc probare conantur, ista sunt. Ezech. 9. v. 4. Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium &c. & v. 6. Super quem videritis Thau, ne occidatis. Exod. 12. v. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti Apoc. 14. v. 1. Et vidi, & ecce, agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum à frontibus suis. Ex hisce nituntur probare, signum crucis portantes, contra omnia adversa, omnesque insidias & furores Diaboli, adeò & tam benè munitos esse, ut si quis hoc signo se signaverit, vel materialem crucem secum gestaverit, illi quamdiu eam secum habet, nullum unquam periculum instare possit: qui autem non habet, eum pro Christiano minime censendum esse ajunt. Item hoc signum putant significari verbis hujus Evangelii, Positus erit in signum cui contradicetur, id sic exponunt, quod qui hæc de signo crucis sententiam non amplectuntur, Christo contradicant. Quæ omnia in talem syllogismum redigi possunt. Quodcunque Patres orthodoxi cum sacra Scriptura consentientes, ex fundamentis sacrae Scripturæ & mandato Dei amplecti jusserunt, id omninò amplectendum est. At sententiam illam, quod qui habet signum crucis Christi, contra omne malum munitus sit; qui autem non habet, non sit munitus, nec Christianus, Patres orthodoxi cum sacra Scriptura consentientes, ex fundamentis sacrae Scripturæ & mandato Dei amplecti jusserunt. Ergò sententia illa omninò amplectenda est. Major per se manifesta & clara est. Minor probatur autoritatibus præmissis.

Respondeo ad minorem distinguendo inter signum & rem signatam. Signum externum, quod est crux solum ac per se neminem munit contra insidias Diaboli & mortem æternam, quod nec Patres orthodoxi, nec sacra Scriptura probare conantur, sed tantum



tantum res per illam crucem significata, quæ est meritum Christi  
sive Christus, qui morte sua, quam in ara crucis sustinuit, & san-  
guine suo precioso, quem in cruce effudit, munivit nos contra  
Diabolum & mortem æternam, Rom. 10, v. 11. *Omnis qui credit in  
eum, non confunderur.* Signum quidem crucis non est planè conte-  
mnendum, quatenus repræsentat & in memoriam revocat homi-  
num mentibus meritum Christi: (propter quod Diaboli & omne  
malum fugiunt,) sed cum statuitur quod signum crucis, vel ge-  
statio crucis materialis, per se muniat hominem, tum eâ ratione  
contemnendum est, atq; ut idolum rejiciendum. Primò quia hoc  
nec Patres orthodoxi, nec sacra Scriptura, nec in præmissis dictis,  
nec ullibi probant aut probare conantur. Ipse n. Augustin. Tract.  
43. in Johannem sensum suum explicat. *Elegit, inquit, Christus Re-  
demptor noster genus mortis, ut in cruce penderet, & ipsam crucem in fron-  
tibus fidelium figeret, ut dicat Christianus: Mihi absit gloriari nisi in cruce  
Domini nostri Iesu Christi.* Item lege dictum illud Augustini paulò  
antea citatum atque in medium allatum, quod habetur in enar-  
ratione ejus super Psal. 141. ubi dicit: *Qui me erubuerit coram homi-  
nibus, & ego erubescam illum coram Patre meo: Hic, absit gloriari, nisi in  
cruce Christi:* Quæritur, an hisce verbis intelligat signum illud ex-  
ternum, nimirum formationem crucis vel gestationem crucis  
materialis, an verò etiam Christum ipsum sive meritum ejus quod  
est res signata? Nonne ille erubescit Christum, qui postponit meri-  
tum ejus & fidem in illum, atque arbitratur se muniri signo ali-  
quo crucis externo? Nonne ille gloriatur in alio quàm in cruce  
Christi, qui postponit meritum & sanguinem ejus, qui solus emun-  
dat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7. atque amplectitur cru-  
cem ferream, ligneam aut ex alia materia factam, sive aliud quod-  
dam signum, & se illis contra Diabolum & peccatum muniri,  
juxta illud Rom. 1. v. 25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in men-  
dacium: & coluerunt, & servierunt creature potius quàm creatori,* opina-  
tur? Certè, si unquam gloria Deo spoliata est, si unquam ab ho-  
minibus spretus fuit, si denique unquam Christo contradicium  
fuit, tum ei contradicatur, spernitur & gloria spoliatur, cum po-  
tentia salvandi & meriti à Christo præstiti efficacia rei alicui ex-  
ternæ, corporeæ, inanimatæ, præter, imo contra Dei verbum fal-  
sissime arrogatur, Levit. 26. v. 1. Deut. 5. v. 8. Deut. 16. v. 22.  
Exceda.



Exod. 20 v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi scul-  
ptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo de super, & quæ in terra de-  
orsum, nec eorum, quæ sunt in aquis, sub terra. Non adorabis ea neque  
coles.* Nonne hoc est habere Deos alienos, spem suam ponere  
in trancis & imaginibus, quæ tamen tantum in Deo ponenda est?  
Nonne hoc est similitudines adorare & colere, cum cruce te ad-  
versus Diabolum muniri arbitraris? Ad eorum argumenta etiam  
totus ferè Psalmus 113. optimè respondit. Item Deut. 4. à versu  
15. usque ad 20. pulcherimè ostenditur, & ex eo luce meridiana  
clarius est, hoc abominationem esse coram Domino: Dicit enim  
ibi apertissimè Moses, quod propter hanc causam signum non  
apparuit populo, loquente Deo cum illo, ne fortè decepti simili-  
tudinem aliquam facerent, eamq; adorarent & colerent. Pl. 96.  
v. 7. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia & qui gloriantur in simu-  
lachris suis.* Concludimus igitur, signum crucis, cum per se con-  
tra Satanam nos munire judicatur, tanquam idolum coli, me-  
rumq; idolum esse, ac tantum abesse, ut aliquam habere possit  
contra Diabolum efficaciam, ut omnes illud religiosè colentes,  
propter hanc *σαυρολατρεία* à Spiritu sancto arguantur. Unde nul-  
lam spirituales efficaciam signo crucis per se inesse manifestum  
est.

## PARS SECUNDA,

Continens *Δοξολογία* Hannæ Prophetissæ.

38. Quo tempore hoc factum sit, quòd Hanna Prophetissa  
comparuit, indicat ipse Evangelista, nempe eà ipsà horâ, quâ Si-  
meon Puerum in ulnis suis adhuc tenuit. Deinde addit accura-  
tam descriptionem personæ, antequam testificationem ipsam  
commemoraret.

*Quando  
Hanna sit-  
pervenit.*

39. Instituitur autem hæc descriptio ex quinque proprieta-  
tibus ejus. 1. Commendatur à nominis significatione, quod nimi-  
rum significat illam gratiosam fuisse: channa enim idem est quod  
gratiosa, à quo nomine etiam Johannes appellatus est, item ma-  
ter Samuelis 1. Reg. 1. v. 2. 2. Dicit illam fuisse Prophetissam,  
per quam Spiritus sanctus locutus est. 3. Commendat illam ex  
genere seu familia, quòd fuerit filia Phanuel, de tribu Asser, se-  
cundum illum modum, cui Scriptura assueta est in descriptio-  
bus

*Descriptio  
Hanna ex  
5. proprie-  
tatibus.*



bus Prophetarum. Nam & tunc, procul dubio, cum hæc facta fuerunt, propter nominis celebritatem genus hujus Hannæ adhuc notum erat. Sonat autem Phanuel faciem Dei. 4. A longævitate, quod singulare donum Dei est, juxta Ps. 91. v. 16. *Longævitate dierum replebo eum: Et ostendam illi salutare meum.* 5. Laudat illam à vitæ integritate & pietate, quæ omnibus commendata esse debet, dicit enim illam precationibus & jejniis semper Deo sèrvivisse. Ex hisce quinq; proprietatibus colligitur auctoritas testificationis illius.

*Quomodo  
Hanna non  
discedebat  
à templo.*

*1. Ratio.*

40. Aliqui volunt, illam habuisse domunculam circa templum, quod ex eo concludunt, quia Evangelista dicit, illam nunquam è templo discessisse. Sed hoc non est simpliciter intelligendum, quasi perpetuò fuerit in templo, sed hoc modo. Alii curis domesticis occupati erant, & habitabant extra civitatem, qui vel ter in anno, scil. in Festis, vel urgente obligatione aliqua legali, ut Purificationis, Primogenitorum, Votorum &c. veniebant ad templum: Alii iterum qui in urbe habitarent, non semper mane & vesperi sacrificiis, & reliquis ministerii exercitiis propter occupationes œconomiarum poterant interesse: sed quando à negotiis vacabant, ascendebant ad horam orationis, Act. 3. v. 1. vel Sabato in templo conveniebant. Hanna verò, quæ nec domum, nec liberos, quos curaret, habebat: quia singulis diebus & semper publicis illis ritibus in templo intererat, dicitur nunquam ab eo discessisse.

*2. Ratio.*

41. Deinde patet hoc ipsum ex eo, quòd eodem modo etiam alibi sic loqui videatur Scriptura, Psal. 26. v. 4. *Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Nec obligantur homines, ut sint semper in templo simpliciter intelligendo, quòd etiam nobis impossibile est, sed tantum præcipit Deus, ut intersimus publicis congressibus quandocunq; possumus.

*Hanna fuit  
in numero  
excubanti-  
um ante ta-  
bernacu-  
lum.*

42. Hannam igitur talem fuisse intelligimus, nempe Deo in omnibus deditam, quæ, quia agnovit se habere donum continentia, elegit hunc statum vitæ, in quo minus haberet avocamentorum per domesticas occupationes: Eamq; in numero earum foeminarum fuisse existimamus, quæ excubantes ante tabernaculum templi, Levitarum & pauperum ministeriis occupabantur, & vasa templi, victimarum sanguine aspersa lavabant, 1. Reg. 2. v. 22. Exod. 38. v. 8. 43. Con-



43. Conjungit deniq; orationi jejunium: ita enim Sancti agere solebant, cum in magnis periculis & calamitatibus, aut in rebus arduis ardentem orare vellent. Quia ut ad orationis devotionem edessent expeditiores, jejunis corpus subigebant, & carnem mortificabant, ne sua petulantia Spiritui obstreperet. Jud. 20. vers. 26. 1. Reg. 7. v. 6. 3. Esd. 8. v. 74. Judith. 8. v. 6. Est. 4. v. 16. 2. Paral. 20. v. 3. & alibi. *Hanna cur jejunabit.*

44. Nec in publicis duntaxat conventibus manè & vesperi communes preces adjuvit, sed etiam privatim, sive in domo, sive in lecto vigilans eis institit, quod intelligit Evangelista, cum dicit, illam servasse Deo jejunis & obsecrationibus, die ac nocte, juxta Psal. 1. v. 2. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Psal. 41. v. 9. Psal. 76. vers. 3. & 5. Psalm. 87. vers. 1. Psalm. 91. vers. 2. Psalm. 118. vers. 55. *Semper servavit.*

45. Ulterius cum dicitur, quod confitebatur Domino, intelligendum est id vel de glorificatione & gratiarum actione, vel de testimonio, quod sua confessione Puero Jesu reddidit. Verbum enim Confiteri utrumque significat, ut colligi potest ex Esd. 3. v. 11. *Confiteri quid?* *ἐν αὐτῷ καὶ ἀνθρομολογήσας τῷ κυρίῳ.* Ex qua confessione natura fidei in Hanna conspicitur, quod nimirum latere non possit. *Credidi, propterea locutus sum.* Psal. 116. v. 10.

46. Hannam verò hæc non tantum illa hora perfecisse putat Evangelista, cum addit, illam locutam fuisse de illo omnibus qui in Jerusalem redemptionem expectabant: Sed colligitur illam quam sapientissime mentionem de illo fecisse, & nomen Domini prædicasse coram omnibus redemptionem expectantibus, quod ideo factum fuisse videtur, quia non omnes tunc temporis Ierosolymis præsentem fuerunt, nec in templo tunc comparuerunt, qui adventum Salvatoris propè instare crediderunt. Quapropter ad hos postea accessit, prædicavitq; & locuta est illis de Puero, quem Simeon in ulnis suis in templo tenuisset, ipsumque Messiam jam natum fuisse, qui salvaret omnes redemptionem expectantes ostendit. Et sic fama de illo per totam urbem & alibi divulgata est. *Quomodo omnibus de illo locuta est.*

47. Hinc apparet, quam solenniter Simeon & Hanna Festum Domini nostri & Salvatoris JESU CHRISTI celebrarint: factum enim hoc est quasi distributis alternisq; choris à Simeone & Hanna alternatim Deo cecinerunt. *Simeon & Hanna alternatim Deo cecinerunt.*



à Simeone quidem præcinendo, ab Hanna autem succinendo, quæ  
Harmoniâ unanimiter Domino confitebantur. Sic Exod. 15. Mo-  
ses canit carmen gratulatorium: Maria autem idem repetit.

48. Abbas Guericus serm. 2. de purificatione pulchrè com-  
parat hoc par veracissimorum testium cum pari turturum, dicens:  
*Pari turtu- rum affinu- lantur Si- meon & Hanna.* *Ecce habes par turturum, senem justum, & viduam Hannam, utrumq; ca- stum, utrumq; desiderio redemptionis gemebundum, qui utiq; semetipsum ha- stiam vivam Domino obtulerunt, pares erant fide, æquales castitate, similes devotione, consortes prædicatione gratiæ.*

*Quia plu- rimi de Christo te- stati sunt, ideo creden- dum omni- no quod sit promissus Messias.*

49. Videmus igitur plurimos de Christo testari. Pastores  
Bethlemitici de eo passim prædicaverant, sed ne ipsorum, ut-  
pote hominum simplicium testimonium repudiaretur, ideo exci-  
tat Deus honoratissimum virum Simeonem, qui publicè de Chri-  
sto prædicat, Angelus de hoc puero concionatus fuerat, sed ne  
Angelorum apparitio contemneretur, ideo in templo per homi-  
nes Deus de filio testatur. Magi gentiles venerant ex oriente, sed  
ut Judæi testes haberent è sua gente. Ideo Simeon & Hanna hic  
testantur. Simeonis testimonium comprobat Hanna Prophetissa,  
ut consentienti virorum & mulierum testimonio ornaretur, quip-  
pe in omnium salutem natus erat. Quod si ergo in ore duorum  
vel trium testium consistit omne verbum, Matth. 18. v. 16. Cur  
dubitare adhuc vellemus?

## EX HAC PARTE QUÆSTIO

### PRIMA.

*An Ieiunium sit cultus Dei?*

Papistæ, inter quos est Stapletonus dicto loco, jejunium &  
macerationem corporis, qua homines seipsos afficiunt, singulare  
bonum opus esse, ac cultum per se Deo placentem statuunt, salu-  
temq; æternam, illis operibus, hominem promereri posse arbi-  
trantur, quas opiniones suas stabilire conantur exemplo Hannæ  
nostræ, quæ in jejuniis & obsecrationibus Deo servisse dicitur  
die ac nocte: Quorum argumentum syllogisticâ formâ tale esse  
potest. Si servire Deo in jejuniis & obsecrationibus, est cultus di-  
vinus & Deo placens, sequitur, quod jejunium etiam sit cultus  
Deo placens. At prius est verum, Ergo & posterius. Sed respon-  
spondemus



demus negando consequentiam majoris ac distinguendo inter  
finem & medium ad finem: Finis quidem, utpote precatio sive  
oratio ad Deum cultus divinus est: Quia *cultus Dei*, inquit Philip-  
pus Melanthon, *est opus mandatum à Deo, seu certo Dei testimonio insti-*  
*tutum, quo Deus pronunciat se honore affici.* Orationem autem talem  
esse Stapletonus fortè non negat, de hac igitur hoc loco ulterius  
agere nolumus. Sed quia medio ad hunc finem, puta jejunio,  
hanc definitionem non convenire constat: ideò nos illud cultum  
Dei per se esse negamus: Jejunium per se consideratum, quod  
tantum est maceratio corporis, Deo minimè placet, nisi quate-  
nus reddit nos idoneos & aptiores ad invocationem & cultum  
divinum: Atqui si omne illud, quod nos ad preces excitat & in  
oratione nos reddit ardentiores atque aptiores per se esset cultus  
Dei, ipsæ quoque calamitates per se essent cultus divinus. Deut. 8.  
v. 5. *Sicut erudit* (scil. per castigationem, ut colligere est ex prio-  
ribus versibus) *filium suum homo: Sic Dominus Deus tuus erudit te, ut*  
*custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.*  
Deut. 26. v. 6. *Afflixerunt nos Aegyptii & persecuti sunt, & clamavimus*  
*ad Dominum Deum Patrem nostrum qui erudit nos,* Propheta Esaias  
cap. 58. pulcherrimè ostendit, quod jejunium per se minimè Deo  
placeat. Nam à versu 3. usque ad 6. ita scribit: *Quare jejunavimus*  
*& non aspexisti? Humiliavimus, affliximus animas nostras & nescivisti?*  
*Ecce, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores ve-*  
*stros repetitis: Ecce, ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno*  
*impie: Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiat in excelso cla-*  
*mor vester. Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere homi-*  
*nem animam suam? Nunquid contorquere, quasi circulum, caput suum, &*  
*saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium & diem ac-*  
*ceptabilem Domino? Nonne ibi luculenter demonstratur, quod je-*  
*junium, quâ jejunium, Deo non placeat? Ulterius versu 6. dicit,*  
*quodnam jejunium Deo acceptabile sit, cum dicit: Nonne hoc est*  
*magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fascicu-*  
*los deprimentes &c.* Esai. 1. v. 16. & 17. Matth. 6. v. 16. Item lega-  
tur cap. Ezech. 18. à versu 5. ad 10. *Hic justus est vita vivet, ait Do-*  
*minus Deus Matth. 25. v. 35. Esurivi &c.*

Addimus etiam sequentes rationes. I. Quia non extat ali-  
quod dictum sacrae Scripturae, quod asserit jejunium per se Deo  
placere.

D



placere. 2. Quia jejunare sub opinione cultus & meriti est me-  
ra traditio humana. Matth. 15. vers. 9. ubi Christus ipse Pha-  
risæis, traditiones humanas suas observantibus respondit, di-  
cens: *Sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata homi-  
num.* & vers. 13. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus  
caelestis, eradicabitur.* 3. Quia contrarium est Scripturæ, jeju-  
nium in discrimine ciborum statuere, & huic discrimini cul-  
tum ac meritum tribuere, Col. 2. vers. 16. *Nemo vos iudicet  
in cibo aut potu.*

Insurgit adhuc Stapletonus contra definitionem Melan-  
thonis, negans verum esse, quod de cultibus electitiis statuit,  
conatur id probare inductione exemplorum, inter quæ hoc  
etiam Hanna recenset: Deinde Abelis, Noe, Abrahami, Mo-  
sis, qui priusquam Deus homines docuit, quomodo coli ve-  
lit, opera Deo grata ediderunt. Elias altare ædificavit, Abs-  
tinentia Rechabitarum, Magorum oblatio, Magdalensæ un-  
ctio, Nicodemi sepulchro, & multa alia fuerunt opera Deo  
placencia, nullo tamen peculiari mandato & præcepto DEI  
proposita fuerunt: Ex quibus concludit hanc Melanthonis  
definitionem esse rejiciendam. Respondeo primùm, quia  
Deus ante editum mandatum plurimos se in Spiritu & veri-  
tate non coluisse cognovit, ideo mandatum, juxta quod coli  
velit, tradidit: illa verò Melanthonis sententia de tempore post  
traditum mandatum præcipuè intelligenda. Et sic adhuc illud  
Melanthonis firmum manet.

Deinde respondeo ad allata exempla, quod sint particu-  
laria, ex peculiari Spiritus sancti instinctu facta: A particula-  
ribus autem ad universalia non valet consequentia. Exempli  
gratia: Quia hæc præcedentia Deo placuerunt, igitur & alia  
omnia quæ sine mandato Dei ad colendum Deum excogitantur.  
Verùm si hoc licitum est, liberum etiam erit unicuique sibi  
cultum aliquem proprium excogitare: Si enim simpliciter o-  
mnis cultus Deo placet, Ergo etiam idolatricus, quod est ab-  
surdissimum. Illorum autem alii Christum visibiliter præ-  
sentem habuerunt, qui errores ipsorum in momento corri-  
gere potuisset: Nos autem spiritualiter & invisibiliter eum  
per verbum & fidem præsentem habemus, quem secundum  
verbum



verbum suum colere debemus, Matth. 28. vers. 20. Alii ite-  
rum peculiaribus donis Spiritus sancti præditi fuerunt: Pii Spi-  
ritum sanctum quidem habent, sed Spiritus, quomodo Deus  
coli velit, jamdudum revelavit. Simus igitur contenti man-  
datis ejus, & quod ille cultum esse vel non esse voluit, nos  
etiam ab eo per verbum & Spiritum ejus persuasi creda-  
mus, & eo modo, quo præscripsit, ipsum colamus. *Ver-  
bum meum sit sapientia, & intellectus vester coram populo.* Deu-  
teron. 4. vers. 6. Et sic munitur iterum ex superabundanti  
nostra sententia contra adversariorum opiniones etiam his di-  
ctis Spiritus sancti. Deuteron. 4. vers. 2. *Non addetis ad verbum  
quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, custodite mandata Domini quæ ego  
præcipio vobis.* Esai. 8. v. 20. *Quod si non dixerint juxta verbum hoc non  
erit eis matutina lux.*

Ulterius objicit Stapletonus aliud argumentum, dicens,  
Jejunium simpliciter & per se esse verum cultum Dei, quia est  
maceratio corporis propter amorem Dei. Hoc stabilire cona-  
tur testimonio Augustini. *DEVS non colitur nisi amando.* Item  
Bernhardi: *Affectus tuus imponit nomen operi tuo: quomodo à te pro-  
ficiatur sic aestimatur.* Syllogismus ex illius verbis talis constru-  
itur; Omnis maceratio, quæ fit propter amorem Dei, est ve-  
rus cultus Dei. Sed jejunium fit propter amorem Dei. Ergo est  
cultus Dei. Nos autem negamus majorem simpliciter esse  
veram, primò deducendo illam ad absurdum hoc modo. O-  
mnis maceratio, quæ fit propter amorem Dei est verus, Deo-  
que placens, cultus. At quod Baalitarum cultus & lanceolis in-  
cidebant corpora sua, fuit maceratio propter amorem Dei.  
Ergo fuit verus, Deoque placens cultus. Hæc conclusio est  
absurdissima, Ergò aliqua ex præmissis, scilicet vel major vel  
minor: Non minor, quia probatur 1. Reg. 12. vers. 28. Ergò  
major. Quod si adhuc objicitur illos idolum coluisse & non  
verum DEUM, Ergo videri quod non factum fuit propter  
amorem veri DEI. Respondemus illos per Baal intellexis-  
se DEUM verum, ut ex capite 2. vers. 5. Osee manifestum  
esse potest, & sic apparet quod falsa sit major in argumento  
Stapletoni.

Distinguimus igitur inter amorem hominis erga Deum, qui du-  
plex



plex censetur: Nimirum verus & falsus. Amor hominis erga Deum verus est, qui fluit ex operatione Spiritus sancti, cum homo voci Dei obediens est, & facit quæ Deus præcepit, quæ autem non præcepit, omittit. 1. Joh. 5. v. 3. *Hæc est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus.* Falsus autem qui fluit ex propria natura hominis cum sine mandatis Dei aliquid excogitat, quæ Deus non approbavit. Ideoque sic limitanda est major. Omnis maceratio quæ fit propter & per verum amorem Dei, congruens cum voluntate divina, illa inter cultus Dei sano sensu numerari potest. Nunc minor est falsa: nimirum quod jejunium sive maceratio per se tantum considerata sit cultus: congruit quidem aliquo modo jejunium cum voluntate divina: sed voluntas divina non dicit illud per se cultum & meritum esse. 1. Cor. 8. v. 8. *Esia nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.* Jejunabimus igitur nos & temperanter vivemus, ut aptiores & expeditiores ad colendum Deum reddamur, & ne caro Spiritui obstrepat, ut dictum est thesi 43.

#### QVÆSTIO SECUNDA.

*An mulieres ad ministerium admittendæ sint?*

Prohibet hoc Apostolus Paulus, 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres vestrae in Ecclesiis taceant.* & v. 36. *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* 1. Tim. 2. v. 12. *Docere autem mulieri non permitto.* Sed contrarium hic habemus exemplum in Hanna, quæ tam in templo, quam alibi omnibus de Christo locuta est. Item Exod. 19. v. 6. 1. Petr. 2. v. 9. mulieres pertinent ad Regale Sacerdotium. Gal. 3. v. 28. In Christo non est masculus neque femina. Jud. 4. v. 4. Debora Prophetissa, quæ etiam judicavit populum. Jud. 5. v. 7. *Cessarunt fortes in Israel, & quieverunt: donec surgeret Debora.* & v. 12. *Surge, surge Debora, surge, surge, & loquere Canticum.* Hulda prophetavit, 2. Paral. 34. v. 24. Priscilla uxor Aquilæ, ministra Ecclesiæ, Act. 18. v. 2. Phæbe, Rom. 16. v. 1. Quatuor filia Philippi, Act. 21. v. 9. &c. Resp. Distinguendum est, 1. inter docendi ministerium & inter Baptismi, in casu necessitatis, administrationem. Non concedendum est mulieribus publicum docendi ministerium, interim tamen in casu extremæ necessitatis baptizare eis licet, Exod. 4. v. 25.



v. 25. Exemplum habemus, quod Sephora uxor Moſis circumci-  
dit præputium filii ſui. Item 1. Macchab. 1. v. 63. mulieres Iſraeli-  
ticæ circumcidebant pueros ſuos. Ad miniſterium ſacræ cœnæ  
nullibi legimus eas admiſſas fuiſſe. 2. Inter publicum miniſterii  
eccleſiaſtici officium & privatam familiæ informationem; Ad il-  
lud ordinariè non ſunt admittendæ ſœminæ: Ad hanc omninò  
patet eis aditus. 3. Inter ordinariam miniſterii conſtitutionem,  
& inter caſus extraordinarios. 4. Inter ſœminas communibus  
Spiritus ſancti donis inſtructas, & inter heroicæ Spiritu Prophe-  
tiæ donatas. 5. Inter miniſterium publicè docendi & inter alia  
Eccleſiæ miniſteria, videlicet ægrotos, pauperes, peregrinos cu-  
randi, &c.

### PARS TERTIA.

In qua teſtimonium Evangeliftæ de pueritia & edu-  
catione Chriſti continetur.

§0. In hac parte duo conſideranda veniunt: 1. Parentum *Quid hæc  
conſideran-  
dum.*  
Chriſti erga legem obœdientia. 2. Chriſti educatio & erga Pa-  
rentes reverentia, quæ nobis bonum exemplum reliquit.

§1. Obœdientia Parentum Chriſti erga legem, hic ab Evan- *Obœdien-  
tia paren-  
tum Chri-  
ſti erga le-  
gem.*  
gelifta commendatur duplici modo: Primò enim dicit, quòd ſe-  
cundam legem omnia perfecerint. Deinde quod his peractis in  
domum ſuam redierint, curamq; œconomix habuerint, quod ſa-  
nè non diſcordat ab illis, quæ prius dicta ſunt, habuerunt enim  
domum & œconomiam longè diſtantiem à Jeruſalem, quarum  
curam habere æquum fuit & hac de cauſa non potuerunt ibi ſem-  
per adefſe, ſicut Hanna.

§2. Ultimò breviffimam addit deſcriptionem educationis & *Accrebit  
Chriſtus.*  
vitæ Chriſti à prima infantia uſq; ad duodecimum ætatis annum.  
Quemadmodum ſtaturâ & viribus corporis pro ratione ætatis  
crevit: ita etiam iudicio, ſapientiâ, intellectu aliisq; donis habi-  
tualibus in anima ſuccevit, Eſai 7. v. 25. *Butyrum & mel comedet,*  
*ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.*

§3. Eſi enim hic Puerulus eſt Deus Deorum, tamen in ſtatu *Chriſtus  
laboribus  
ſubjectus.*  
exinanitionis educatus eſt tanquàm alius puer ſive infans, ut nobis  
in omnibus ſimilis redderetur: quod ſi hoc modo educatus eſt,  
omninò ſequitur, illum laboribus ſubjectum fuiſſe. Nam non



convenit, illum ignavo otio vitam traduxisse. Basilius in asceticis cap. 4. inquit: *In prima etate parentibus subditus, quemlibet laborem corporeum humiliter & obœdienter sustinuit.* Luc. 2. v. 51.

*Christus laboravit.*

54. Quanquam autem Parentes ejus essent justi ac pii, tamen humanis rebus necessariis non abundarunt, teste præsepi, quod venerando partui inservivit. Josephum etiam fabrum lignarium fuisse in confesso est, ex quo absque omni dubio sequitur illos laboribus corporis assiduis deditos fuisse, quibus necessaria vitæ sibi colligerent: Christus verò subditus & illis omninò obœdiens, etiam simul perferendo labores, subjectionem & obœdientiam declaravit.

*Christus faber.*

55. Basilius & ante eum Justinus in Tryphone hoc idem affirmat, cum dicit Jesum in fabricandis jugis & aratris usque ad trigesimum annum occupatum fuisse, quæ non est dubia conjectura, confirmatur enim & stabilitur apertissimis sacrae Scripturae testimoniis, quia Nazareni, vicini ejus, qui probè genus vitæ illius ante inchoationem ministerii cognoverunt, mirantes & scandalum accipientes ex eo quod fecit Dominus, non tantum fabri. Filium illum appellaverunt, Matth. 13. vers. 55. sed & fabrum apertè nominarunt, Marc. 6. vers. 3. *Nonne hic est faber, Filius Mariæ, & frater Jacobi, & Josæ, & Iudæ, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt?* Quamobrem illi qui genus vitæ & educationem ipsius, in qua in pueritia sua versatus fuit, viderunt, certissimi hujus rei testes esse possunt.

*Christi obœdientia hominibus & liberis in obœdientia & laboribus, exemplum.*

56. In quibus præter descriptionem exinanitionis & servitæ servi, præbuit etiam nobis hanc doctrinam, quod obœdientiam liberorum erga parentes ita voluit approbare & sanctificare, ut tam insigni ipsius Filii Dei obœdientiæ exemplo erga matrem & curatorem fabrum, obœdientiæ erga parentes reliquis omnibus liberis magis dulcesceret: item quod in se receperit sudorem vultus, qui Adamo cum suis posteris propter peccatum, Gen. 3. v. 17. impositus est, ut ita sudorem vultus & laborem manuum sanctificaret.

*Christus in vico obscuro & accosnomia vulgaris educationis.*

57. His ipsis quoque verbis Lucas præcipuè significare voluit Christum Salvatorem nostrum non apud templum, ut Samuel inter Doctores, qui sine dubio talem Puerum apud se optas-



opraſſent, educatum fuiſſe, nec apud Eſſæos in deſerto: neque  
apud Phariſæos ut Paulus ad pedes Gamalielis: Quæ educatio-  
nes aliquid authoritatis humanæ ipſi attuliſſe viderentur, ſed in  
œconomia vulgari, pauperi, plebeia, & quidem cujuſdam fabri  
in vico obſcuro & contempto Nazareth: Nimirum præbuit no-  
bis exemplam humilitatis, ut reſpiciamus ad illud Prov. 16. v. 19.  
*Melius eſt humiliari cum micibus, afflictiſ, quàm dividere ſpolia cum ſuper-  
bu.* Prov. 3. v. 7. Eſai. 5. v. 21. Rom. 12. v. 16. *Non alta ſapientes, ſed  
humilibus conſentientes.* Hæc conſtat ratione exinanitionis facta  
fuiſſe, ut authoritas doctrinæ & officii ejus non in præſidiis hu-  
manis, ſed ſolis divinis teſtimoniis fundaretur.

### QVÆSTIO UNICA EX HAC PARTE.

*An Chriſtus tam ſecundum divinam, quàm humanam naturam  
accrevit, & qualis ſit illa accretio?*

Absurdum eſſe videtur Chriſto augmentum & profectum  
tribuere, cum Divinitas ſit tam perfecta: imò perfectiſſima, ut  
nihil unquam ei poſſit addi, cumq; aſſumptæ naturæ humanæ in  
ipſa unione personali plenitudo inhabitantis Deitatis tribuatur.  
Coloſſ. 2. verſ. 3. *In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ab-  
ſconditi.* & verſ. 9. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corpora-  
liter.* Pſal. 45. verſ. 3. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* & verſ. 8. *Vnixit  
te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Johan. 1. verſ. 14.  
*Plenum gratiæ & veritatis.* Singulariter notandus locus Apoſto-  
licus Coloſſ. 2. verſ. 9. qui omnium planiſſimè deſcribit unio-  
nem personale, quod nimirum tota plenitudo Divinitatis  
in Chriſto, hoc eſt, in humana ipſius natura habitet  
personaliter: Nam plenitudinem Divinitatis in Divinitate ha-  
bitare commodè non dicitur. Hinc mirum videtur, quomodo  
natura illa, in qua plenitudo Divinitatis inhabitabat, ſapientiã  
crescere poſſit, quia in quo habitat plenitudo Divinitatis per-  
sonaliter, illud ipſum ſpiritu DEI & ſapientiã ita conforta-  
tum & repletum eſt, ut neq; accretione indigeat, nec perfectio-  
nẽ aliquam ſuſcipere poſſit. Sed in humana natura Chriſti inhabi-  
tat plenitudo Divinitatis personaliter. E. humana natura Chriſti  
ita



ita Spiritu Dei & sapientia confortata & repleta est, ut neque accretione indigeat nec perfectionem suscipere possit. Sed cum sobriè explicatur & intelligitur major propositio hujus syllogismi, argumentatio illa facile solvi potest. Primum enim manifestum est ex his ipsis Lucæ verbis (*Puer crescebat & confortabatur spiritu*) hæc pertinere ad humanam naturam, non quatenus ea hodiè in statu exaltationis omnipotentiam, omniscientiam & reliqua divina attributa sibi personaliter communicata plenâ luce exerit, sed quatenus in statu exinanitionis & respectu donorû habitualium consideratur, quia dicit, quod Puer iste secundum humanam scilicet naturam donis habitualibus creverit, & Spiritu confortatus fuerit.

Deinde ad propositionem majorem ita responderi potest, Licet humana Christi natura, in qua plenitudo Divinitatis personuliter inhabitat, nec accretione indigere, nec perfectionem suscipere, nec plenitudini aliquid addi posse videatur: Tamen accrevisse dicitur secundum manifestationem effectuum, quod videlicet plenitudo ista nec statim nec semper in assumpta natura & per eam se ostensionibus illustribus exeruerit, sed inenarrabili exinanitione tecta & occultata fuerit, & deinceps indies magis magisq; manifestare cœperit. Huic sententiæ astipulatur Nazianzenus, inquiens: *Dicitur proficere secundum humanam naturam: non quod divina sapientia, quæ ab initio perfecta fuit, augmentum suscipiat, sed ex eo quod paulatim manifestabatur.* Addit etiam tom. 2. tractat. de fide f. 134. similitudinem talem: *Vt Sol, cum nube tegitur, claritas ejus comprimatur, non cœcatur & lumen illud, quod toto orbe diffusum, claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non auferitur: Sic & homo ille, quem Dominus Iesus Salvator noster, hoc est, Deus Deiq; Filius induit, Deum tamen in illo non interceptit, sed abscondit.* Cyrillus sic explicat, quomodo Christus profecit: *Quia, inquit, juxta mensuram ætatis corporeæ, natura divina sapientiam propriam revelabat.* Athanasius: *Augescente magnitudine corporis unâ crescebat in ea Deitatis manifestatio.* Scholastici disputant de habitibus sapientiæ & gratiæ animæ Christi in humana natura infusis, quos ab initio conceptionis perfectos fuisse propter unionem personalem cum Divinitate statuunt, qui tamen subinde magis magisq; in effectibus sese manifestarint. Thomas in disp. de intellectu passibili & habitibus



bitibus acquisitis; Dicit, quòd secundum scientiam acquisitam sex  
experimentalem profecerit: quò refert illud ex epistola ad He-  
braeos cap. 5. v. 8. *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus  
est obedientiam.* Congruum fuit, inquit, ut humanam imperfe-  
ctionem in se susciperet, qui fratribus per omnia similis esse debe-  
ret. Heb. 2. v. 17. Athanasius, qua ratione Christus Spiritum san-  
ctum acceperit, in oratione secunda contra Arrianos sic exponit:  
*Iesus Christus, heri & hodie, idem est in secula, incommutabilis permanens:  
& ipse idem ille est, qui dat & accipit: datus quidem, ut verbum Dei, acci-  
piens verò, ut homo. Non ergo verbum, quatenus verbum, meliorationem  
acceperit: Habuit enim omnia & perpetuo habet: sed homines sunt, qui ini-  
tium accipiendi in illo & ab illo obtinere.* Ex his igitur concludimus,  
quod Christus tantum secundum humanam naturam accrevit,  
quatenus ea in statu exinanitionis & respectu donorum habitua-  
lium consideratur.

Observandum verò est, quòd Christus non tantum coram ho-  
minibus donis illis habitualibus accrevit, sed etiam coram Deo.  
Addit enim Lucas versu ultimo cap. 2. *Proficiebat scientiã & ætate,  
& gratia apud Deum & homines.* Sed cum dici non possit, quod ple-  
nitudo scientiæ & gratia in Christo ita latuerint, ut progressu  
ætatis non solum hominibus, sed etiam ipsi Deo manifestanda  
fuerint, quia omnia Deo sunt manifesta: Ideò quidam ex recen-  
tioribus disputant, humanam naturam in Christo non statim ab  
incarnatione abundantiam & plenitudinem donorum omnium  
exeruisse: Sed quia verus homo fuit necesse habuisse ut humanas  
infirmittates, excepto peccato, in se susciperet. Statuunt igitur,  
quod sicuti statura & viribus corporis pro ratione ætatis crevit:  
ita in anima etiam iudicio, sapientia, intellectu aliisque donis ha-  
bitualibus succreverit, idque non tantum secundum apparentiam,  
sed etiam secundum rem ipsam, respectu humanæ suæ naturæ, &  
non respectu divinæ omniscientiæ.

Cavendum tamen erit, ne in disputatione de hac gravissima  
& difficillima questione mysterio unionis personalis divinæ &  
humanæ naturæ in Christo aliquid detrahatur: Quod summos  
Theologos summâ diligentia observasse cognovimus. Quia non  
sufficit ad personale unionem, quod Divinitas in Christo in sepa-  
rabiliter habitat: Nam eodẽ modo habitat etiam in S. Angelis &  
in



In piis in futura vita. Ideò Hassenrefferus in locis theologicis lib. 3. loco 2. de Christo pag. 264. sic describit incarnationem Filii Dei, ut ipsius etiam communicationis mentionem faciat. *Incarnatio Filii Dei est duarum naturarum in Christo, ineffabilis quidem, & omnem rationis humanæ captum excedens, indissolubilis tamen & talis conjunctio, quâ æternus Filius Dei, in temporis plenitudine, humanam naturam, in personæ suæ unitatem, non sine reali naturarum earundemq; proprietatum novitate assumpsit: atq; in ea non tantum redemptionis opus absolvit, sed jam quoq; per eandem, omnibus ubiq; creaturis præsens & potenter dominatur.* Cui cum additur illud Paulinum, tota plenitudo Divinitatis in Christo *σωματικῶς* inhabitat, sequitur totam plenitudinem divinitatis in Christo personaliter & corporaliter, id est, in ipsius corpore, supra captum nostrum inhabitare, in nobis autem spiritualiter tantum, unde discrimen illud cognoscitur.

Objici iterum potest: Quia Christus non semper divina sapientia usus fuit, ideoq; sequitur, quod aut illam abscondit, aut interdum illa caruit: Verum distinguendum est inter statum exaltationis & exinanitionis. In statu exaltationis sapientia ejus semper manifestatur: In statu verò exinanitionis minimè, (Describitur autem exinanitio à Dn. Præside ex Epist. ad Philip. 2. v. 7. & 8. *quod sit Christi in forma servili humilis obedientia usq; ad mortem crucis.*) Verum quod Christo in statu exinanitionis divinitatis omnipotentiam, majestatem & gloriam, quæ humanæ ipsius naturæ communicata fuerunt, plenâ lucè exercere non placuit, id factum est propter opus redemptionis ac propter nostram salutem, ut scilicet pati ac mori posset. Quod colligitur etiam ex 2. Epist. Pauli ad Cor. 8. v. 9. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Quoniam igitur, quomodo hæc profundissima exinanitio facta sit, vix intelligi ac percipi potest, ideo si quæ adhuc difficiliore objectiones afferuntur, cogitemus de admitione Pauli, Coloss. 2. vers. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam inanem & fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi & non secundum Christum.* Atq; Redemptorem nostrum Iesum Christum, qui propter nos seipsum exinanivit, verè hominem factum ad expiandum peccata nostra firmiter credamus, cum Parentibus Christi in gratiarum actione admiremur. Demuq; ut incredulitati nostræ opem ferat. Marc. 9. v. 24. *Supplices rogemus.*

CATA



# CATALOGUS ERRORUM QVORUM

rundam ex Postillis & Commentariis aliquorum Adversariorum collectus.

1. Deus peccati mei causa est, quod in utero matris meae cum hac perversitate ingenii mei, atq; peccandi necessitate condidit atq; formavit. *Martinus Bucerus in cap. 1. ad Rom.*
2. Justè sancta mulier Spiritum prophetandi meruit accipere: quia longâ castitate, longisq; jejuniis ad hoc culmen ascenderat. *Barradius in moral. sup. hoc Evang.*
3. Signi crucis tanta vis est, ut cum praesenti malorum remedio, absq; omni superstitione, adhiberi possit ac debeat. *Stapletonus in prompt. cath. sup. hoc Evang.*
4. Discas cum omni reverentia apud te ferre & uti omni eo quicquid à Sacerdotibus & praecipuè à vicario Pontifice Romano consecratum est, sive sint candelæ, aqua benedicta, aut res aliæ, veluti hoc ipsum quod agnus Dei nominatur, quæ per virtutem benedictionum sæpè admiranda signa fecerunt, veluti inundationem fluviorum aut diminuere, incendium extinguere, facere mulieres in labore suo parere & similia plura. *Costerus concione 1. sup. hoc Evang.*
5. Quidquid facimus in honorem Dei, quamvis sit minimum, hoc ipso servimus Deo, atq; ei totum placet (si vel maximè non sit in verbo Dei praescriptum.) *Costerus ibid.*

ORNATISSIMO DOMINO JOHANNI

MARCI BULLERNÆSIO SVECO.

**T**V quoque cui patriam dedit ultima Svecia, doctos

Inter & eximios nomen habere cupis.

Diam de promis opes mentis fabricatus elenchos

Quis Papam serias Calvi seclasq; fuges.

Horum namq; aciem perfringis robore verbi,

Disrumpens variis retia nexa modis.

Non tibi causa mali fuerit Deus, ultor iniqui:

Non crucis in signo vis aliquanta mero.

Non tibi sunt cultus saturum jejunia veri,

Officiū sacrum foemina nulla gerat.

et



Christus homo quondam tibi crevit acumine montis,  
Qua Deus augeri diminui nequit.  
Talia praesenti tractas problemata campo,  
Tempore, quod voveo, plura dat ut brevi.  
Perge modo studio parili pertexere telam,  
Svecia dat gnavis praemia digna viris.

Johan. Major D. P. P. &  
Superint.

JAM MARCI quondam Tibi Martia castra placebant,  
Pulsabantque aures classica pulsa Tuas.  
Te ferrum ad lumbos truculentum armabat in hostem,  
Telaque vi multa mittere promptus eras.  
Non stetit ista diu tibi mens, quin protinus, arma  
Ite procul, dixi, Musa quieta vocat.  
Nec mora, te summus discendi compulit ardor,  
Semota a patrio visere regna solo.  
Teque adeo celsas oris spiramine docti  
Illustris cathedras Jena animare videt.  
Te coluisse juvat Sophiam, divina sacrorum  
Scripta Prophetarum te coluisse juvat.  
Illa Magistrali ornabit Tua tempora Lauro;  
Haec te praestantem Theiologum facient.

M. Daniel Stahlius, Philosophici  
Collegii p. t. Decanus.

Quid video? postquam te, Jane, heliconia lymphis  
Proluit Aoniis, doctè excoluitque Minerva,  
Cultior hinc, satagis sancti penetralia verbi  
Rimari; curaque quoque fervidior, malignas  
Haereticum tricas, genio enodare deserto.  
Semina doctrinae, specimenque, insignia promissis  
Publicitus tales dum praestas, Jane, labores.  
Gratulor ingenium merito tibi: te patriaeque,  
Lumen, quae a tali pergrande expectat alumno.  
Euge igitur comites alias, similesque sorores,  
Perge dare: Et tali te commendare labore,  
Dein patriam: hac tandem te ornabit, Jane, vicissim,  
Ne dubita, emerito veniet tibi gloria justa.

faciebam

Jonas Tranæus Sveco: Suder-  
mannus.



94 A 7385

ULB Halle  
002 728 095

3



VD17





1. An die ...  
2. ...  
3. An ...






Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



A T I O

nicæ primæ

omini.

R H A R D O

O F F E S S O R E

F a u t o r e

M A R C I

c e m b r i s .

XVI.

M A N N I

